THORLACUM adfines otius ire ſuos...
Cumque ſuum donis clarum ſpectabit alumnum,
Rectorem cleri flos que decusqve cluet.
Cum videat patrem qui nunc aliquando, dolendum!
Delituit, proprium reſtituiqve caput.
Cum videat tantum ſeſe talemqve magiſtrum
Nactam. qui ſophiâ ſingula rite regat.
Cum videat ſibi ſit *THORLACUS* Epiſcopus, ille,
SCULONIUS, Dominum fervidiore colens
Curâ, cui placuitqve placet ſudare per artes
palladias, parcæ dum ſua fila trahunt.
Hinc & tanta viro debetur gratia tanto:
Gloria debetur non moritura die.
Hinc tete tantos *THORLACE* putabis honores
Sortitum, patrij, gloria magna ſoli,
Quod ſis clarorum decus immortale Virorum
Dicendus. cæptis patris imago tuis
Adſpiret, quare vocali carmine dignum
Quis neget & clarum promeruiſſe decus
SCULONIS ſobolem: quam nunc Holenſia ſceptra
Expectant: Nomen quam ſuper aſtra vehit.
Gratulor ergo tibi dignum virtutis adeptus
Quòd fueris meritum: Gratulor inde tibi.
Et poſito luctu, nova gaudia carpere mente
Nunc ſatago. plauſus de manibusqve dare.
Congaudent conſangvinei, tua patria gaudet,
Atqve canunt Domino jubila grata ſuo.
THORLACE te videant tantis quòd honoribus auctum,
Qui ſint virtutis præmia larga tuæ.
At pater omnipotens ſolus ſibi tempore in omni
Principium & finis, qui fuit, eſt & erit,
Te regat æterni, poſſis ut, flaminis aurâ,
THORLACE officium rite ſubire tuum.
Et ſis auguſtus ſis cælipotentis amicus,
Pergas officio ritè præeſſe tuo.
Deinde peto vivas longęvæ tempora vitæ,
Atqve diu parcæ mitia fila trahant.
Trina pecor numeres *THORLACE* Titonia ſecla,
Et nihil ex ullâ perdere luce queas.

---

lantzſch, 1628.

Gratulation til Þorláks Skúlasonar, þegar hann varð biskup.
(Hamburg) 1628.